



Virtutis Solidæ Præcipua Impedimenta, Subsidia, Et Incitamenta

Commentationibus Illustrata, Omnium Usui Aptatis. Quæ Servire Insuper
Poterunt Pro Argumento Concionum: Uti Et Considerationum Tempore
Exercitiorum; præsertim verò pro gemino sacræ collectionis triduo; prout
ex subjectis hunc in finem elenchis patet. [...] Partes Tres

Impedimenta

Bellecius, Aloysius

Ratisbonæ [u.a.], 1755

Caput III. De abusu gratiarum.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55524](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55524)

CAPUT III.

DE GRATIARUM ABUSU.

Quod cibus corpori, id gratia est animæ. Sicut ergo alimentorum neglectio est hominis perditio; ita & neglectus gratiæ virtutis exterminium est. Nisi enim intellectus supernè illustretur, & voluntas cœlitus excitetur, in perfectionis semita nec passum promovebis. Inde colligere licet, quàm magnum earundem abusus acquirendæ sanctitudinis obstaculum sit. Ne igitur tam potenti remora in cœpto cursu retardemur, rei I. indignitas, II. pœna nobis terrori erunt, & horrore.

§. I.

Ejus Indignitas.

I. **S**umma est gratiæ *neccssitas* ad partrandum quodvis opus salutare, quod mercedis sempiternæ meritorium fit.

I.
*Suma est
gratia ne-
cessitas.*

fit. Dogma id fidei est contra Pelagianos & Semi-Pelagianos ab Ecclesia definitum, (a) fundatumque in illo Christi enuntiato: *sine me*, nempe sine meo excitante auxilio, *nihil potestis facere*, (b) quod vitam æternam promereatur. Idem Philippenses & Corinthios docet gentium Doctor Paulus, eisdem scribens in hanc sententiam: *DEUS est, qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* (c) *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex DEO est.* (d)

Quibus verbis secundum interpretationem Patrum (e) Apostolus orbi signi-

„ (a) Conc. Arausica. II. ca. 7. cujus hæc sunt
 „ verba: *Si quis per naturæ vigorem bonum ali-*
 „ *quod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogita-*
 „ *re, aut eligere posse confirmet absque illuminatione*
 „ *& inspiratione Spiritus Sancti, hæretico fallitur*
 „ *spiritu.* Item Conc. Trid. sess. 6. can. 3. *si quis*
 „ *dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratio-*
 „ *ne, atque ejus adjutorio hominem credere, spera-*
 „ *re, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut*
 „ *justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

(b) Joan. 15. v. 5. (c) Philip. 2. v. 13.
 (d) 2. Cor. 3. v. 5. (e) S. Hierony. l. 3. contra
 Pelag. S. Greg. M. hom. 9. in Ezech. S. Aug. l.
 de gratia Christi cap. 26. ubi ait: *nihil omnino bonæ*
sine gratia fieri posse, non dubites.

significat, nos sine interna præveniente gratia non posse velle, agere, vel etiam incipere ullum naturæ vires superans opus. Quin imò, testante Augustino, (f) sine ea proprio Marte ne quidem orare pro ea, nec ad eam nos disponere possumus. Tanta, tam universalis & absoluta divini auxilii necessitas est. Illud ergo qui oblatum negligit, remedium summè necessarium ad salutariter operandum, temerè abjicit.

Proin ô improvide! dum ejusmodi motionem rejicis, clavem projicis, qua sola (secundùm speciem spectata) coeli janua aperitur: talentum prodigis, quo solo immortalis corona comparatur: gemmam dilapidas, qua sola ipse DEUS emitur. Et rides? eoque tempore rides, quo de neglecto tenui lucro, de perduto vili numismate, de jactura rei supervacaneæ doles. At veniet hora, quo tam impudentem abusum amarè deflebis, triste ingemiscendo: *cùm potui, nolui.*

H 4

Et

(f) Aug. Epist. 194, n. 16.

Et profectò quæ hæc temeritas! scire, sine actu salutari neminem aduultum fore salvandum: fateri, nullam ejusmodi actionem sine cœlesti adjutorio elici posse: hæc omnia fide divina insuper credere; & tamen unicum hoc remedium, summè necessarium hoc adjumentum, ultro oblatum, quin & obtrusum negligere, averfari, repellere; idque per risum, nemine minis impellente, ex mera oscitatione; hæc certè ejus generis indignitas est, quæ DEI pupillam lædit, & infinitæ largitatis fontem jure obstruit.

O *Pater luminum!* (g) heu! quid feci, illi dum instinctui rebellis restiti? Ah! ego sedens *in tenebrosis & umbra mortis*, (h) illam lucem repuli, qua sola lethales tenebræ fugari poterant. Ego; percussus *ulcere pessimo à planta pedis usque ad verticem*, (i) illud pharmacum respui, quo solo sanari quiveram. Radium æternitatis, pretium sanguinis Christi, pignus beatitudi-

(g) Jacob. 2. v. 17. (h) Psal. 87. v. 7.
 (i) Job. 2. v. 7.

rudinis æternæ imprudens contempsi.
 At pœnitet! Fac ô Domine! ut
 saltem præsentî huic, quæ fors ultima
 est, gratiæ constanti fidelitate respon-
 deam.

II. Insuper summa est gratiæ *dignitas*.

II.

Nam est bonum, immensum excedens
 omnes terrenas opes, & præstantius
 quid omni illo, quod DEUS aut di-
 vinum non est. Merces est laborum,
 vulnerum, ac mortis Christi: nostro-
 rum meritorum felix principium est,
 incrementum & præmium: est semen
 gloriæ æternæ; justus enim, qui tran-
 seunti auxilio docili mente obsecun-
 dat, is cum illo supernæ virtutis actum
 exercendo, novum inhærentis gratiæ
 additamentum acquirit; cuilibet au-
 tem ejusmodi gradui respondet quo-
 que gradus gloriæ sempiternum dura-
 turæ. (1) Quilibet ergo immissus à
 cœlo radius est auspiciatum initium to-
 tidem æternitatum omnis excogitandæ

*Summa
 est ejus
 dignitas.*

H 5

felici-

(1) Conc. Arausic. II, can. 18. Trident. sess. 6.
 c. 16. & can. 32.

felicitatis. Quid augustius sublimius-
que dici possit?

In cumulum conjice omnes totius
orbis excellentias, principum diade-
mata, regumque majestates. His pre-
tium adde omnium terra marique la-
tentium gemmarum ac thesaurorum,
istis præterea adjunge omnem solis, au-
roræ, ac stellarum lucidissimam pul-
chritudinem; & en! minima cœlestis
illustratio, unica mentis divina motio
eminenti intervallo longè excellentius
quid, pretiosius ac pulchrius est. Quid
ergo indignius, quàm inestimabile hoc
donum, æthereum hunc fructum, in-
comprehensam hanc gloriæ sementem
tam prodigè abjicere; idque propter
nihil, sine remorsu, per jocum, plus
dolendo de jactura vilis reculæ quàm
gratiæ?

Si dæmonibus vel unicum ex innu-
meris illis, quæ nos tam protervè con-
temnimus, auxiliis concederetur, quan-
ta fidelitate eidem auscultarent? Pro eo-
rum unico mille inferos lubedine ma-
xima

xima tolerarent, si his illud mercari possent. Soli nos mortales, licet hujusmodi donorum summè indigi simus, illorum tamen maximè incuriosi vivimus, & ultro obtrusa obstinato contemptu negligimus.

Et hoc agunt (obstupescite ô cœli!) non educati in sylvis barbari, qui de his rebus nil unquam audierunt; sed Christiani, imò & Religiosi, qui *enutriti verbis fidei*, (m) sciunt, & credunt summam esse non solùm gratiæ necessitatem, sed insuper præstantiam & excelsum. At væ nobis! si ejus meritum tunc primùm æstimare inceperimus, quando ea carebimus.

O cœlestis Samaritane! ego ille infelix sum, qui Jerichuntem profugus *incidi in latrones, semivivus plagis impositis relictus*; (n) ego ille cæcus sedens *secus viam justitiæ*, (o) qui *lumen cœli non video*; (p) tu vulneribus oleum, oculis collyrium, & quidem pretio in-

fini-

(m) 1. Tim. 4. v. 6. (n) Luc. 10. v. 30.
 (o) Luc. 18. v. 25, (p) Tob. 5, v. 12.

finitum, utpote tuo sanguine comparatum, ultro idque scœpius offers, & ego, vah probrum! medicam usque pertinax repello manum, meis miseriis imputrescere malens.

Sed meæ me pudet malitiæ. Tu Domine, qui *amictus es lumine sicut vestimento*, (q) *illumina oculos meos*, (r) ut agnoscam excitantis gratiæ divinam dignitatem. Fac, ut *preponam illam regnis & sedibus, & divitias nihil esse ducam in comparatione illius*. Da, ut firmiter credam, *quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimem argentum in conspectu illius*. (s)

III.]
Magna
ejus est copia, &
efficacia.

III. Præterea gratiæ nobis collatæ sunt magna, nempe vocatio ad fidem Romanam, statumque Religiosum: electio ad sacerdotii dignitatem & animarum curam: nec non tyrocinium, annuus octo dierum secessus, geminæ quot annis animi collectiones, frequens

(q) Psal. 103. v. 2. (r) Psal. 12. v. 15.
(s) Sapient. 7. v. 8. & 9.

quens adeò sacrorum mysteriorum
usus, haustusque inde fructus. Insu-
per sunt *continua*, quotidiana scilicet
sacrificia, meditationes, examina, le-
ctiones, exempla, adhortationes, &
horarii instinctus interni.

Denique sunt *efficaces* in se & quoad
suam, ut Theologi loquuntur, con-
gruitatem spectatae; cum hæ ipsæ nu-
mero gratiæ, si aliis collatae fuissent,
maximos ex iis sanctos effecissent, ac
convertendis ad frugem sceleratissimis
hominibus efficienter suffecissent; quæ-
que ideo solùm in nobis suo effectu
carituræ à DEO sunt provisa, quia li-
berè à nobis repudiantur. Proin au-
xiliis tam magnis, tam continuis, &
in se tam efficacibus tamen resistere:
eaque propter nihil, ex mera petulan-
tia, per jocum contemnere: viliori
loco cœlestes has gemmas ac vitrum
habere; id enimvero, eorum abusum
malitiosissimum reddit.

Itaque *væ tibi Corozain! væ tibi Beth-
saida! væ tibi Religiose! quia si in aliis
factæ*

facta fuissent virtutes, quæ facta sunt in te, ad magnam perfectionem pervenissent. (t) In die iudicii venient ab Oriente & Occidente (u) Turcæ & hæretici; surgent tui illi discipuli, poenitentes & auditores tui, quos ad fidem gratiæ usum animasti; surgent, inquam, & accusabunt te de tam horrendo earundem despiciatu. Vindictam à te exiget suo fine frustratus sanguis Christi, utpote quo is tibi tot spretas à te illustrationes & instinctus comparavit.

O miser! quid olim respondebis Divino Judici, dum orbem universum contestando, minaci voce dicet: *nunc ergo habitatores cœlestis Jerusalem, iudicate inter me & vineam meam. Edicite, quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, animæ huic, & non feci? post tot impensos illi favores, an non jure expectavi, ut faceret uvas? & en! fecit labruscas. (x) Tot curis, laboribus, & vigiliis non nisi vepres ingrata rependit.*

(t) Luc. 11. v. 13.

(x) Isai. 5. v. 4. & 5.

(u) Matth. 8. v. 11.

pendit. Ad hæc quæ tibi tunc mens erit ?

O Domine, *ne intres in iudicium cum servo tuo!* (y) Fateor, ego sum illa infelix terra, arida, petrosa, spinis horrida, cui hæctenus immissum gratiæ semen *vel conculcatum* evanuit, *vel natum aruit*, *vel ab exortis simul spinis suffocatum* interiit. (z) Ego illa sterilis ficulnea, (aa) assiduè culta, sollicitè rigata, tot radiis forata, & tamen fructibus semper vacua. At illudum satis est. Tandem finem faciam resistendi, ne Tu initium facias puniendi. *Da ergo servo tuo cor docile*, (bb) *ne in vacuum gratiam posthac recipiam.* (cc) Fac, ut deinceps illius semen cadat *in terram bonam*, & *ortum faciat fructum centuplum.* (dd)



§. II.

-
- (y) Psal. 142. v. 2. (z) Matth. 8. v. 5.
 (aa) Luc. 13. v. 7. (bb) 3. Reg. 3. v. 9.
 (cc) 2. Cor. 6. v. 1. (dd) Luc. 8. v. 8.

§. II.

Ejus pœna.

I.
*Gratia
 subtractio
 est pœna
 terribilif-
 sima.*

I. **P**œna, gratiis merè sufficientibus abutenti, infligi solita, est efficacium subtractio. Et hæc est ultimum omnium terribilissima, justissima, ordinaria. Inprimis est *terribilissima*; quod sic ostendo. Castigatio omnium in hoc mundo terribilissima & maxima est illa, quæ nos omnium maximè abducit à summo Bono nempe DEO; & quæ nos omnium proximè conjungit cum summo malo nempe peccato & orco. Id autem facit gratiarum efficacium subtractio; hæ enim ex Numinis decreto sunt medium simpliciter necessarium ad operandam salutem, sine quo nunquam possidebitur DEUS, nec vitabitur tartarus. Cum merè sufficientibus possumus quidem salvari; sed reipsa nunquam salvabimur, certò peccabimus, certò damnabimur. Ergo priorum ademptio nos à Summo Bono nempe DEO ac cœlo omnium maximè abducit; contrà verò summo malo scilicet peccato

cato & inferis proximè conjungit, sociatque; adeoque est omnium terribilissima maximaque in hoc mundo poena. Nam ipsa etiam mors in gravi noxa, quæ procul dubio omnium in hac vita calamitatum facilè princeps est, jam involvit negationem auxilii efficientis, ut quis per prævium dolorem vel amorem fiat amicus DEI.

Accedit, quod omnium judicio illud supplicium censeatur esse gravissimum, quod hominem in malitia magis obfirmat, excoecando scilicet illius intellectum, ne periculosum animæ statum agnoscat; & ligando voluntatem, ne ex illo se extricare velit: quod ex una parte peccatori potentiora respiscendi remedia subtrahit; contrà verò viam ad maxima scelera complanat, facilem & expeditam reddit. Jam verò id facit dictorum luminum motuumque negatio.

Nam, quando nos Numen infamia premit, morbis cruciat, vexationibus affligit; plaga quidem est, sed summa

non est; quia his nos à malo avertere, & ad se convertere satagit; patrem tunc, non judicem aut vindicem agit, qui peccantis correctionem per peccati ultionem intendat. At verò dum intellectum peccatoris in sua cœcitate obfirmat, & voluntatem in sua pravitate indurat; dum illustrationes negat, quæ vitii foeditatem detegant; & divinos instinctus adimit, qui ad illud detestandum moveant; dum (ut ait Augustinus) *spargit pœnales cœcitates super illicitas voluptates eorum, & illos tradit in desideria cordis eorum: in passiones ignominie; (a) tunc enimvero sævit quasi ursa raptis catulis; (b) tunc omnipotens furor ejus plaga insanabili, (c) plaga inimici, castigatione crudeli percussit; (d) & quidem tali, qua terribiori in hac vita punire haud posset.*

O verè pœnam horribilem! O iracundiam sine misericordia, *cujus consummatio in combustionem!* (e) O DEUS
ultio-

(a) Rom. 1. v. 24. & 26. (b) Osee 13. v. 8.
(c) Isa. 14. v. 6. (d) Jerem. 30. v. 14. (e)
Hebr. 6. v. 8.

ultionum! (f) Ah! ne in hac ira tua corripas me. (g) ure hinc, & seca, afflige, & crucia; dummodo gratiam tuam non auferas à me. Volo, irasca- ris mihi, Pater misericordiarum! sed illa ira, qua corrigis devium, non qua ex- trudis de via. (h)

II. Præterea est poena *justissima*. Nam gratia amoris tessera est, qua coelestis Sponsus, stans ad ostium cordis hu- mani, amicè pulsatur, intromitti petens, ac urgens. Non aperis, ejus voci au- res occludis, ingressum negas. Fessus tandem pulsando Dominus urgere ces- sat, & contemptus abit. Quid justius? Gratia fax est lucens, & ardens, cujus lumine DEUS intellectum illustrare, & radiis voluntatem inflammare cupit. Tu cordis fenestras claudis, non nisi umbras quæris, ac instar noctuæ ejus calorem & lucem fugis. Ergo tandem Justitiæ Sol, votis toties frustratus, lu- cere desinit, ac radios occultit. Quid æquius?

I 2

Gra-

(f) Psal. 93. v. 1. (g) Psal. 6. v. 2. (h) Bernardus Serm. 42. in Cant.

Gratia est donum inæstimabile : est gemma coronæ Christi : est pignus æternæ gloriæ. Divinus Pater ultro id offert, quin & obtrudit; ut acceptes, etiam flagitat, idque repetitò, post iteratas repulsas. Tu verò hoc donum respuis, hanc gemmam accipere renuis, hoc pignus flocci pendis. Tandem ergo Divinitatis Majestas toties spreta illud offerre desinit, & obtrudere cessat. Quis iniquum id dicet? An non ergo gratiæ toties abjectæ privatio justissima ultio est?

O vindex Numen! est utique, est justissima. Millies eam promeritus sum. Ego enim sum illa infelix Jerusalem, quam toties voluisti congregare, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, (i) & nolui. Hinc jure vereor, ne tandem & mea domus mihi relinquatur deserta. (1) Hoc salutari timore confixus à tribunali Justitiæ confugio ad thronum Clementiæ. Parce meliora spondenti. Quacunque alia volueris plaga, solùm ista ne punias me. III. Est

(i) Matth. 23, v. 37. (1) Ibid. v. 38.

III. Est denique *ordinaria*. Nullum III.
Ordinaria.
supplicii genus irata Nemesis in sacris
paginis per Moysen, Vates & regium
Psalten sæpius interminatur, quàm
hanc ipsam coelestis adjutorii adem-
ptionem: *dimisi eos secundum desideria
cordis eorum: ibunt in adinventionibus
suis: (m) excæcavit oculos eorum, &
induravit cor eorum, (n) ut videntes
non videant, & audientes non intelligant:
(o) auferetur à vobis regnum DEI; (p)*
hæc & similia divini furoris fulgura in
sacris literis passim in legentium ocu-
los incurrunt. Ipsa, quæ sacri Histo-
riographi recensent, exempla abunde
probant, hanc auxiliorum efficacium
negationem in veteri & nova lege
communem, ordinariam ac nimis
quàm frequentem fuisse. Quin imò
etiam nunc frequentissima est.

Sæpe miramur, quod omnituens
Numen tot tepidos tam patienter su-
stineat, qui insuper habitis tot mediis,
tamen tam parum adimplent obliga-

I 3

tiones

(m) Psal. 80. v. 13. (n) Joan. 12. v. 40.
(o) Marc. 4. v. 12. (p) Matth. 21. v. 43.

tiones sui statûs ; suisque dissolutis moribus domesticis probro , exteris offendiculo sunt. Ah! ait Augustinus, DEUS secreta eos ultione punit , eò graviori , quò occultiori ; dum gratias iis subtrahit , ac suo tepori quietos indormire finit.

Unde fit , ut illi ipsi , quos olim vel umbra noxæ terruit , modò neglectui habeant periculofas cogitationes , tactus & aspectus ; ut inter levia numerent animi aversiones , amicitias , familiaritates , odia , susurrationses , iras , & detractiones , de quibus jure dubites , an non sint lethales ; ut graves injuncti muneris neglectiones , votorum violationes , & ortos inde aculeos tanquam inanes scrupulos explodant , & varia sibi sophismata forment , quibus dolosè oblatrantem conscientiam sopire conantur. Mentis , quæ olim ad bonum fuerant cereæ , & quovis pio motu flexiles , nunc petra duriores & filice sicciores novissimorum memoria , DEI judiciis , Ecclesiæ religionibus nil anguntur , moventur , emendantur.

Uti-

Utinam hæc satis ordinaria etiam in cœnobiis esse, tristis experientia non doceret. O quoties etiam ibi ingemiscere licet: heu! *quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus: en! qui nutriebantur in croceis, amplectati sunt stercora: &, qui erant Nazaraei candidiores nive, ah! quomodo denigrata est super carbones facies eorum.* (q) Solùm oculos nonnihil circumferamus, ac plurima eaque viva allatæ veritatis testimonia conspiciemus. Et demum prò dolor! quid aliud sunt illi graviores lapsus & ruinæ; quid illæ Ordinum desertiones ac subin omnino defectiones à fide, quàm totidem tristia subtractæ gratiæ monumenta, à divina Nemesei nostra ætate, ut nobis terrori forent, hinc atque illinc erecta?

Nos ipsi mentis intima scrutemur, & videamus, an non etiam nos hanc auxiliorum subtractionem variis in occasionibus jam experti fuerimus? Argumento sint sacra exercitia, animi

(q) Thren. 4. v. 1. & seq.

collectiones, tyrocinii curriculum, aliique ejusmodi dies salutis; an non fateri cogimur, plurimas nunc nobis illustrationes piasque motiones ab illo tempore fuisse ademptas, ex quo unà cum illis operari negleximus? Nempe *DEUS non irridetur*; (r) deferentes se, tandem & ipse deserit.

Proin cave ô anima! ne quod aliis, etiam tibi eveniat. Nam *ultor Dominus* (s) *arcum suum jam tetendit*, (t) & *exacuit sicut fulgur gladium suum*. (u) Forsitan res in eo jam est, ut destinata tibi favorum catena, virtutis stola, & gloriæ corona à te ablata, alteri conferatur digniori te. Itaque time; nam *DEI judicia abyssus multa*; (x) licet enim hæc castigatio omnium terribilissima sit, ordinaria tamen, simulque justissima est. (y)

O DEUS magne & terribilis! timor & tremor venerunt super me. (z) Metuo, ah!

(r) Gal. 6. v. 7. (s) Jerem. 51. v. 56.
 (t) Psal. 7. v. 13. (u) Deut. 32. v. 41. (x) Psal. 35. v. 7. (y) Dan. 9. v. 4. (z) Psal. 54. v. 6.

ah! metuo, ne me eodem quo Saullem fulmine feriendo, etiam mihi dicas: *pro eo quod abiiecisti sermonem meum, abieci te*, (aa) & tui loco alium *quæsi mihi virum juxta cor meum*, (bb) paratamque tibi donorum seriem *tradidi proximo tuo meliori te*. (cc) Vereor, ne in pœnam tam projecti abusus *auferatur à me regnum DEI, deturque genti*, (animæ) *facienti fructus ejus*. (dd) Ah! quis non totis artibus contremiscat? dum Heli Samuelem, Sauli Davidem, Judæ Mathiam in regno gratiæ subrogatos legit. Nam, *si hæc in viridi, quid in arido?* (ee) si hæc pontifici, regi, discipulo? quid mihi fiet? Vah! infelix momentum, quo illi impulsui restiti. Ah! inestimabilis thesauri irreparabilem jacturam feci.

Quis ergo dabit oculis meis fontem lacrymarum, (ff) *quæis defleam tam flagitiosum divinæ bonitatis contemptum?*

I 5

Uti-

(aa) 1. Reg. 15. v. 23. (bb) 1. Reg. 13.
 v. 14. (cc) Ibid. v. 28. (dd) Matth. 21.
 v. 43. (ee) Lucæ 23. v. 31. (ff) Jerem. 9.
 v. 1.

Utinam neglecta redirent lumina ! ô quàm fidelius his auscultarem ! Indignus quidem sum, ô *DEUS miserationum!* (gg) cui vel unicum denuo auxilium conferas. Quia tamen etiam tunc, *cùm iratus fueris, misericordiae recordaberis*, (hh) spero ab infinita clementia tua victricem gratiam, quæ vitæ priori finem, & sanctiori initium faciat.

§. III.

Regulæ divinos instinctus dignoscendi, iisque auscultandi modus.

GRatiarum abusûs quàm horrenda indignitas, quàmque terribilis sit, qua plecti consuevit, poëna, paulò ante, mutuatis ex orco carbonibus, ita adumbravi, ut nullus dubitem, quin firmiter decreveris, divinis ejusmodi vocibus morigeras posthac aures te præbiturum. Proinde solùm superesse videtur, ut te paucis edoceam
 1. artem eas dignoscendi, 2. modum docili

(gg) 2. Esdr. 9. v. 31. (hh) Habac. 3. v. 2.

docili mente iisdem obsecundandi;
3. adjectis hunc in finem novis inci-
tamentis.

I. Primò itaque ut faciliùs divinos
instinctus rite cognoscas, sequentes ad-
hibe industrias. Inprimis animi col-
lectioni interdium stude, ut represso af-
fectionum tumultu, Divini Pneuma-
tis susurros faciliùs percipias. Quàm
parum enim ac *in malevolam animam,*
æquè parum in dissipatam introibit sa-
pientia, (A) Spiritus Sancti magiste-
rio docenda; nec Jairi filia excitan-
tem Christi vocem priùs audit, quàm
is ejectam domo *turbam tumultuantem*
vidit. (a) Dein geminos eosque jura-
tos cœlestis afflatûs hostes nempe cu-
ticulæ amorem & animi teporem pro
viribus excute. Ille enim intellectui
nebulam objicit; hic voluntati com-
pedes injicit; quo fit, ut gratiæ du-
ctum nec ille cognoscat, nec hic se-
quatur. Denique sæpius præsertim
sub meditatione, & post exceptum
cordis hospitio Numen Eucharisti-
cum

I.
Regula di-
vinos in-
stinctus
dignos-
cendi.

(A) Sap. I. v. 4. (a) Matth. 9. v. 23.

cum, cum Saulo exclama: *Domine, quid me vis facere?* (b) Ne dubita; grandia non rarò verba tibi loquetur DEUS, quibus notam faciet voluntatem suam.

Ne verò hoc in negotio *transfigurans se Satanas in Angelum lucis*, (c) bonique larvam prætexens, fallaces tibi pedicas struat, illud Joannis Apostoli monitum tibi habeas apprimè commendatum: *nolite credere omni spiritui; sed probate spiritus, si ex DEO sint.* (d) Idcirco regularum de discernendis spiritibus hoc tibi compendium habe.

I. Attende, num hi, quibus impelleris, motus animum consolatione, lætitia, pace repleant, magisque te ad sectandam perfectionem accendant? vel num è contrario potius mentem distractionibus, turbatione, nausea, tædio, tristitia obruant: pravæ motiones excitent, teque in virtutis studio

(b) Act. 9. v. 6. (c) 2. Cor. 11. v. 14.
 (d) 1. Joan. 4. v. 1.

dio tepescere faciant? Posterioris notæ impulsus dæmonem habere auctorem in comperto est. Nam teste Elia *non est in commotione Dominus; (e) cum sit DEUS consolationis, DEUS pacis, (f) formans lucem, & fugans tenebras. (g)*

2. Adverte, num sentias tibi ab Omnipotente promitti tantum pecuniæ spiritualis seu virium, quantum ad exequendum, quod moliris, opus exigeretur; *ne, posteaquam posueris fundamentum, & non potueris perficere, omnes, quæ vident, incipiant illudere tibi, dicentes: quia hic homo cæpit edificare, & non potuit consummare. (h)* Ejusmodi autem superna pollicitatio, opisque suffecturæ spes divinæ vocis indicium est.

3. Nota, num hi instinctus perseverent, pergantque semper & constanter te incitare ad bonum? Nam inconstantia signum mali est & levis spiritus, *qui similis fluctui maris à vento movetur, & circumfertur. (i)*

Præ-

(e) 3. Reg. 19. v. 11. (f) 1. Cor. 1, v. 3.
 Item cap. 13. v. 11. (g) Isa. 45. v. 7. (h)
 Luc. 14. v. 29. & 30. (i) Jacob. 1. v. 6.

Præterea (ut Author nobis S. Ignatius est) observabis quoque principium, medium, & finem horum animi motuum. Eorum *initium* seu originem quod attinet, animadvertes, num eosdem sentire incipias, quando fervore accensus, consolatione perfusus, pace beatus, suavi malacia frueris? vel num assurgant tempore amaritudinis, tristitiæ, teporis vel alterius prævæ affectionis, quæ rebeli tumultu animi regnum turbet. Item num tempore non suo, sed impertinenti in animam irruant? dum nempe alio opere vel negotio, ab obedientia injuncto, occuparis, quocum hæ motiones non solum nullam habeant connexionem, sed nec combinari queant; ita ut ei rite exequendo, impedimento sint? Præposterus ejusmodi impetus è cælo non est; cum nil cœleste heteroclyton sit.

Dein *medio* tempore, quo tales impulsus durant, observa, num interiori quiete voluntatem tranquillent, & intellectum superna claritate illustrent?
 vel

vel an potiùs hunc tenebris obscurent; illam verò tædiis inquietent? Denique sub eorum *finem* attende, num menti infixum relinquunt salutarem stimulum, qui te impellat ad perfectionis semitam alacriùs decurrendam, ad actiones quotidianas perfectiùs peragendas, ad refranandos sensus, mentisque collectionem accuratiùs conservandam? vel num te cœlestium nausea, virtutis fastidio, tristicique acedia afficiant, dissipent, affligant, tepidumque reddant? Primum boni erit genii; alterum verò mali indicium.

Nam (ut sapienter notat S. Bernardus) *anima bono spiritu interiùs afflata, sanctæ inspirationis certa habet indicia, fervorem scilicet, pacem & humilitatem.*

(1) Si enim demissum te, ferventem, pacatum & magis indifferentem reddant, genuinum id aurum esse indubius judica. Præterea cœlestes instinctus Sacræ Paginæ & Theologiæ placitis, receptis Ecclesiæ moribus, familiaris religiosæ usibus, statûs nostri obligatio-

(1) Serm. 32. in Cant.

gationibus & ministeriis consentanei sunt ac conformes. Iidem quoque nostræ indoli & ingenio, naturæ viribus & habilitati, nec non conditioni, officio, ætati semper accomodati sunt, & aptati. Quæ ipsa Divini Spiritûs comis adeò facilitas, benignaque humanitas nos reos amplius magisque inexcusabiles reddit, si *dura cervice & incircumcisis cordibus & auribus* eidem nihilominus *resistere* pergamus. (m) His ergo regulis usus, *si separaveris pretiosum à vili, quasi os DEI eris; (n) & spiritus mendax non decipiet, nec prevalebit adversum te. (o)*

II.
lis auscul-
tandi mo-
das.

II. Porro postquam his industriis cognovisti, divinitus te instigari, divinæ voci auscultabis 1. *promptè*, vitando omnes moras: 2. *generosè*, rumpendo omnes remoras: 3. *constanter*, cavendo omnem in bene cœptis remissionem. Inprimis præcipitandæ sunt omnes *mora*; *hilarem enim datorem diligit DEUS.* (p) Morosus quantopere

(m) Act. 7. v. 51.

(n) Serm. 15. v. 19.

(o) 3. Reg. 22. v. 22.

(p) 2. Cor. 9. v. 7.

topere Ei displiceat, experta est illa Sulamitis, (q) quæ, quia pulsanti non statim aperuit, lentam cunctationem diu multumque luere debuit. Nempe grandis nimum & excelsa Domini exercituum, regumque Regis majestas est, quam ut à vili vermiculo, ad quem suâ gratia invisere dignatur, repulsam inultus ferat. Accedit, quod hac dilatione favor cœlestis minuatur, difficultas augeatur, summumque anima discrimen incurrat, ne postea perficere ob defectum opis & occasionis haud amplius queat, quod, cum potuit, agere in tempore noluit.

Dein perumpendæ sunt omnes *remora*. Si enim aliquando, cur non modò? Idem, qui post sæcula, jam hodie regnat DEUS, æquè munificus in munerando, ac rigidus in puniendo. Si res, quæ à te exigitur, difficilis non foret, merito præmioque careret; quò gravior tui victoria, eò major erit gloria. Age ergo, pavorem pone, generosa in ausa assurge; Tobia piscis est,

Pars I.

K

quod

(q) Cant 5. v. 6.

quod expavescis, & times. Solùm audacter *apprehende branchiam ejus*, (r) & vicisti. Mox cum timore omnis etiam labor evanescet.

Denique bene coeptis *constanter* insistendum est. Quid enim juvat incepisse, & iterum à proposito resiliisse? Quid prodest ædificasse, si quod dextra exstruxit, sinistra iterum destruat? Quid juvat lapidem in montis verticem protrusisse, si remota manu eundem denuo ad ima devolvi sinas? Hæc inconstantia non nisi majori pœna te dignum reddit; cùm cognitioni non respondeat effectus, nec talentis negotiatio.

Igitur sedulò inquire, quid DEUS à te repetitis impulsibus cumprimis petat? cujus appetitionis victoriam, qualis rei sacrificium, cujus vitii fugam iteratò exigat? qualem virtutis actum exerceri à te, quod opus bonum patrari, qualem corporis afflictationem assumi urgeat, optetque? In summa:

quid

(r) Tob. 6. v. 4. & 5.

quid fieri à te, quid omitti impensius postulet? Hic jam suspenso gradu ac vigili aure, quid mens reponat, ausculta, & (quod Apostolus monet) *noli negligere gratiam, quæ est in te, & quæ data est tibi.* (s) Secus cave, ne etiam tu cum illo servo nequam, *quæ acceptam mnam abiens fodit in terram, & abscondit,* (t) *ejiciaris in tenebras exteriores.* (u)

III. Ejusmodi enim gratiarum prodigos Nepotes perdendæ salutis criticum discrimen incurrere, palam enuncio. Asserto veritas ex mox dicendis constabit. Nam primò cœlestes hæc motiones divinitus immissæ, sunt illa subsidia, quibus æterna Bonitas nos à *via lata ac spatiosa, quæ ducit ad perditionem,* abducere; & ad *arctam alteram angustamque semitam, quæ ducit ad vitam,* adducere consuevit. (x) His ergo spretis, quid aliud superest, quàm ut teporis veterno immerfi, tandem evomamur ex ore DEI, nostrisque in-

III.

Incitamenta eos sequendi.

K 2

fruni-

(s) 1. Tim. 4. v. 14. (t) Matth. 25. v. 18.
 (u) Matth. 22. v. 13. (x) Matth. 7. v. 14.

frunitis appetitibus perditè relictis, sinamur *abire post vestigia gregum.* (y)

Præterea qui media negligit, etiam finem respuit. Nos religiosi qui sumus, sub lethali noxa tenemur tendere ad perfectionem nostro statui congruentem, utque in virtute progrediamur, saltem conari. Jam verò adjuvamenta præcipua id exequendi, dictumque conatum exercendi sunt sancti hî impulsus ac illustrationes. His ergo qui passim & temerè abutitur, gravi huic obligationi suæ non satisfacit; id est, ad perfectionem non seriò tendit; adeoque in eo statu versatur, in quo salutis periculum incurrit; cum illa subsidia abjiciat, quibus solis res hæc, graviter præcepta, rite expleri queat.

Ad hæc sine supernis fidei, spei, & charitatis actibus, per vitæ cursum elicitis, cœli gloriam adulatorum nemo acquireret; & sine pari ejusdem ordinis dolore criminum condonationem peccatorum nullus obtinebit. Hi autem
actus

(y) Cant. I, v. 8.

actus sine præviis cœlestibus auxiliis elici nequeunt. Ergo qui ista sibi oblata perulenter rejicit, dictos actus nunquam eliciet; adeoque æterna beatitudine nunquam potietur. Item: actum est de reo, quem, veniam rogantem, iratum Numen non exaudit. Atqui teste Gregorio Magno non exaudiet te, quicumque ejus voci rebelles usque obturas aures. *Qui DEO interiùs inspiranti, & monenti non obedit,* (S. Gregorii verba sunt) *is noverit, se ad DEUM in suis precibus aspirantem, non audiendum, nec exaudiendum.* (z) Inde jam conclude, in quàm magno tales sempiternæ perditionis discrimine versentur.

Denique sine dono perseverantiæ finalis, ut ajunt, perdita est anima etiam sanctissima. Illa autem ex sententia Patrum & Doctorum sæpe habet (æterna Mente rem ita ordinante) secretam miramque connexionem cum memoratis impulsibus divinis; ita quidem ut his protervè neglectis, non ra-

K 3

rò

(z) L. 4. Moral. c. 1.

rò etiam illam subtrahat ille ipse ultor
 D E U S , cujus judicia sunt abyssus
 multa; in poenam scilicet crassi illius,
 quem hæc neglectio involvit, immen-
 sã Bonitatis despectûs.

Itaque, ò prodige gratiarum con-
 temptor! his territus deinceps melio-
 ra decerne; cumque vindex illud Nu-
 men identidem *conterat multos, & sta-
 re faciat alios pro eis*, (aa) time, ne
 eodem turbine etiam tu involvaris.
 Certè Hebræis Gentes, Græcis Lati-
 nos, Hæreticis Europæis Americanos
 & Japones substitutos miramur. Quod
 integris nationibus contigit, cur non
 etiam tibi evenire possit? tibi, inquam,
 quem tam pertinax tot auxiliorum
 abusus aliis nocentiolem reddit. Præ-
 fertim cum subtractio gratiarum poena
 non minùs frequens quàm terribilis
 sit. Quin imò & justissimam esse Au-
 gustinus enunciat, dicens; *justissimum
 est, ut amittat unusquisque illud, quo
 bene uti noluit; &, qui sciens rectum, id
 tamen*

(aa) Job. 34. v. 24.

tamen non facit, equum est, ut amittat
etiam scire, quod rectum est. (bb)

Proin, ô mortales! hodie adhuc si
vocem Domini audieritis, nolite, ah!
nolite obdurare corda vestra. (cc) Sed
(quod Bernardi monitum est) inpo-
sterum loquenti interiùs DEO duas
aures commodate, unam scilicet in-
telligentiæ, alteram obedientiæ; unam,
qua cum Elia in sibilo auræ tenuis hu-
militer audiatis, qua sit voluntas DEI
bona, beneplacens & perfecta; (dd) al-
teram, qua fideliter auditis obsequa-
mini. (ee)

(bb) S. Aug. de lib. Arbitr. (cc) Psal. 94.
v. 8. (dd) Rom. 12. v. 2. (ee) In Epist.

